

2963

C O D I C E S

2964

*Johanni Cbrysf.* eripiendam, maxime illud, quod in ea *Johannes* ipsemet nominetur.

DCCCXXIV.

- 74 Codex membraneus lat. Sec. XVII. Folior. 28. f. caractere luculento ab insigni Calligrapho exaratus, pluribusque picturis linearibus cum frontium, tum marginis decorus continet *Praeparationem ad Missam Pontificalem, Ordinem Missae et Recessum ab Altari*, in usum quondam *Francisci Principis a Dietrichstein* Card. Episcopi Olomucensis, Viri Caesaribus acceptissimi ac de utraque Rep. meritissimi, cujus *Insignia* non modo passim per ipsum Codicem, sed in ipsa theca exterius visuntur his verbis adjectis: *Franciscus Cardinalis a Dietrichstein Episcopus Olomucensis Princeps &c. M. DC. VII. Preces in Canone sic conceptae sunt: Et pro Papa nostro N. et Imperatore nostro N. et me indigno seruo tuo.*

DCCCXXV.

- 418 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 275. 4. non una manu, sed per totum eleganter scriptus, rubricisque ornatus *Liturgica* complectitur saltem priore sui parte, olim ad *sanctum Germanum spiren.* tunc Coenobium O. S. B. a *Dagoberto I.* fundatum, pertinentia, quae se hoc ordine excipiunt: I. praemissis fol. 1. et 2. Orationibus *ad Vesperum, Matutinalibus, de S. Cruce, et*

*Affectu Dolentis de Peccatis*, qui totus e biblicis sententiis praeclare contextus est, *Incipit Graduale*, id est *Introitus, Gradualia, Offertoria et Communiones* per totum annum sive in Dominicis, et Feriis, sive in Festis SS. tam propriis, quam communibus in Missa cantari solitae, notis *Muscis* Textui superimpositis. Initium: *Dominica. IIII. Ante. N. D.* scilicet I. Adventus. *Ad Te Leuauit Animam Meam &c.* Natalis *Johannis Evang.* duas Missas habet, quarum una *Prior*, altera *Publica* inscribitur. *Prior* illa *Vigiliam* subplet, quae ob *Stephani* Festum pridie celebrari nequit. Praeter Missarum habentur et aliarum Ceremoniarum Cantus, ut: *Ad processionem in Purificatione S. Mariae, in Die Palmarum*, ubi, *Gloria laus et honor &c.* praenotatur: *Uersus Fortunati* (Venant.) *Episcopi*; idem Titulus imponitur Fer. VI. in Parasceve Hymno: *Crux fidelis inter omnes &c.* et Dom. Paschatis Elegiae: *Salve Festa dies &c.* Finem faciunt: *Antiphona in Letania Maiore et Missae Ad Pluuiam postulandam et Pro Siccitate Terrae.* De aliis Necessitatibus publicis nihil.

II. fol. 47. caractere grandiore absque titulo *Liber Sequentiarum*, qui incipit: *In Natali Domini. De Nocte. in Primo Gallicinio.* E collatione instituta cum Editio T. I. *Thef. Anecd. Cl. Pezzii col. 18.* observo in ejus Cod. defuisse Seq. nostram primam: *Nato canunt omnia Domino pie agmina*

agmina &c. Seq. in Septuag. *Cantemus cuncti melodum nunc Alleluia &c.* In Octava Pasch. *Hec est Sancta Sollemnitas Sollempnitatum &c.* et secundam de S. Michael: *Summi Regis Archangele Michael &c.* Contra vero in *Nostro* non reperiri Sequentias SS. *Benedicti, Emerammi*, secundam S. *Michaelis, Galli, Otmarri, Columbani, de Virginibus*, secundam de *Trinitate et Dionysii*. Praeterea, quae ei prima est in *Galli Cantu*, nobis reponitur ad *Octavam Domini* i. e. Nativitatis. An porro omnes hae Sequentiae *Notkeri Balbuli* foetus sint, dicere non habeo. Modulationis Tonum *Sequentiis* passim addit *Notker*, ut *Cod. DCCCXXIX.* quocum conferri potest. Ita compareret: *Alleluia* five *Aeuia, Concordia, Romana, Mirabilis, Eia Turma, Trinitas, Symphonia, Puella turbata, Frigidola, Mater, Greca, Duo Tres, Virgo plorans, Captiua, Occidentana &c.* Adscripta est in fine, calamo paullo recentiore: *In festiuitate sancti Germani confessoris nostrique patroni Sequentia*, quae incipit: *Laus tibi summe deus quem prenoscens helyseus &c.* Quae ad vitam Germani Ep. *Autistodorensis* anno 448. demortui faciunt, sunt haec: *Qui more pagano relicto amatoris presulis successor Premonstrante deo est factus una omnium uoce postulatus.* — *Doctrinam fidei restaurauit. heresim pelagij cum dampnauit. diuino sermone. britanni gaudent uita falsitate. Inter quos per ipsum tribuni ceca recepit filia uisum &c.*

Sed haec uberius *Constantius Presb. Lugdun.* in vita apud *Suriium* et in *Actis SS. Bolland.* ad 31. *Jul.*

III. fol. 58. p. 2. *Incipiunt Tropi Carminum.* Erant vero *Tropi* in latina Ecclesia Versiculi quidam, qui in Festis maioribus ante ipsum *Introitum* canebantur, de quibus *Ducangius* in *Gloss. v. Tropus*, et plura *Celf. Gerbertus T. I. de Cantu et Musica s. L. II. P. 1.* Primus nobis *De Natiuitate Domini*, hoc initio: *Hodie cantandus est nobis Puer &c.* ultimus *In Dedicatione Ecclesie: Hodie reuoluat annua ista plebs Sollempnia &c.* Post *Tropos: Incipiunt Uersus super Kyrie Eleyson.* Versus hi intercalares triplici modo pulcre variantur. Modus primus: *KTRIE O ΘΗΟΚΡΙΤΙC (κρίτης) ΔΙCΗΕ-OC (δικαιος) ΙCΚΙΡΟC (ίσχυρος) ΑΘΑΝΑΘΟC ΙΧΑC (ήμας) ΕΛΕΥCΟΝ.* O Pater alme sedens super alas cherubyn ac seraphyn esto pius atque clemens famulis pro debitis. *kyrie eleyson &c.* Alter modus: *Canamus cuncti laudes ymnificas soli deo placidas. kyrie eleyson &c.* Tertius modus: *kyrie eleyson. Omnipotens genitor lumenque et lucis origo. kyrie eleyson &c.* Post haec sola formula *kyrie eleyson* multiplici modulatione repraesentatur. Huic succedit *Δοξολογία Gloria in excelsis &c.* inscripta *Carmen Angelicum*, et ipsa quadruplici modulationis varietate, sed ultimae uti et *Symbolo CPlitano*, quod hic *Apostolicum* audit, *Notas Musicas* imponere oblitus videtur

2967

## C O D I C E S

2968

tur Librarius, quae ceterum a *Sequentiis* incipiendo ubique adjectae sunt.

IV. fol. 61. p. 2. pereleganti manu sequitur: *Collectio Amalarii Uiri Doctissimi De Ordine Romano. Qui Uocatur Liber Officialis*. Noli tamen hic expectare Collectionem integram IV. *Libris* constantem, prout habetur in *Hittorpii Sylloge, Colon. 1568. p. 101. f. et in Bibl. PP. Lugd. T. XIV. p. 934. Amalarius Symphosius, non Fortunatus, neque Archiep. Treuirensis, sed Diaconus aut Presbyter Metensis, ut post Sirmondi ad Constant. Cajetanum epistolam Opp. T. IV. Paris. 1696. col. 641. f. sentiunt Eruditi, bis collectionem suam publicavit; primo quidem an. 820. inscriptam Ludovico Pio Imp. dein post iter Romam an. 827. susceptum, qua occasione alterum ei praefixit Prologum. Atque is in *Cod. praesenti* legitur hoc initio: *Postquam scripsi libellum qui a mea paruitate uocatur de ecclesiastico officio. ueni romam &c. Extat apud Hittorp. cit. p. 102.**

Ultima tamen utrinque discrepant; Noster enim finit: *haec sunt quae a romana sede accepi*; apud *Hittorp.* quaedam adjecta sunt, quae, an genuina sint, dubito. Prologum excipit inscriptio: *De Observatione Dierum per Annum et Recapitulatio*. Re ipsa Libri IV. C. 37. quod incipit: *Vbi sanctus hieronimus exponit illud ad Galathas &c.* sed in *Cod.* abruptum ad verba: *quem tenebat populus qui ei tunc notus erat*. Vides, quam parum de toto *Amalario* transcribere placuerit Librario nostro. Itaque nimium ne fide colori Titulorum.

V. fol. 65. p. 2. *Incipit Martyrologium Bedae Presbyteri*. Non magis *Bedae*, quam cuiusvis ex Antiquis; immo *Kalendarium* potius nudis nominibus constans, nisi quod Pontificibus *Rom.* aliquid gestorum adscribatur. *Notae astronomicae* consuetae minio exartae sunt. In fronte cuiusque mensis *Versus III.* quorum primus *astronomicus*, alter *medicus*, tertius *oeconomicus* est. Ita *Januarius*:

*Principium Jani sancti tropicus capricornus.*

*Jani prima dies et septima sine timetur.*

*En Janus palmas uelut ignibus applicat ambas.*

Quorundam SS. Nomina serius addita, maxime *Paparam*. Ita *Telesphorus* ad diem IV. *Non. Jan.* pro *Non.* Inscripta et Mortuorum Nomina, quorum notiora haec sunt: XVII. kal. Febr. *Rato abbas*. IX. kal. Febr. *Hazacha comes*. III. kal. Febr. *Adal-*

*pertus comes*. XVI. kal. Mart. *Adalbero IV. babenberg. ep.* an. 1060. VII. kal. Mart. *Beatrix mater Adalberonis ep.* V. Non. Mart. *Cbunigunda imperatrix.* an. 1040. VI. kal. April. *Heimo ep. Halberstadiensis* nempe an. 853. II. kal. Maj. *Arnoldus vuarmociensis*

*ciensis episcopus frater noster. Ubi errasse puto Librarium, et rescribendum esse Wormaciensis. IV. Non. Maj. Hazecha comitissa. IV. Id. Jul. Henricus christianissimus imperator. an. 1024. Alii noctem inter 13. et 14. mortualem statuunt. XII. kal. Aug. Hiltolf coloniensis archiepiscopus frater noster. an. 1079. X. kal. Aug. Guntherus ep. An Coloniensis, qui post an. 870. an Bambergensis, qui an. 1066. in Hungaria obiit? VI. Id. Aug. Wezil magdaburgensis archiepiscopus frater noster. Aliis dictus Wernerus occisus in bello an. 1073. In Necrologio Hildesheim. Ecclesiae apud Leibnit. Script. Brunsvic. T. I. p. 766. retrahitur ad diem praecedentem. III. kal. Sept. Chuniza filia comitis Dietmari. VIII. Id. Nov. Hartuicus episcopus. Fortasse Magdeburgensis anno 1088. III. kal. Dec. Adalpero dux carinthie. III. Non. Dec. Hiltigart abbatissa. Non illa Scriptis celebris, quae obiit 17. Sept. 1180. II. Non. Dec. Anno coloniensis episcopus frater noster anno 1075.*

*VI. fol. 72. p. 2. Confessio pura ad Christum. Series Praefationum in Festis majoribus per annum, ut hodie. Series Orationum, quas Liturgici Infra Actionem adpellant, Codex vero Infra Canonem vel Actionem vocitat. Has inter Pro defunctis hoc tenore: Hanc igitur oblationem quam tibi pro requie animarum famulorum famularumque tuarum offerimus quesumus domine propicius intueri. et concede ut defunctis prosit ad*  
Denis Codd. Theol. V. I. P. III.

*ueniam. quod cunctis uiuentibus preparare dignatus es ad medelam. diesque nostros &c. Demum Confessio, quae est formula Sacerdoti se accusandi, cum illa superior soli Deo fiat.*

*VII. fol. 75. praemissa Pictura lineari Gregorii M. sedentis et librum in pulpito explicantis, cui inscriptum: Gregorius Praesul Urbis Rome, adstante in humero dextro columba, Incipit, ut fert titulus p. seq. Liber Sacramentorum. Character luculentus est et elegans, et mox inter Praefationem et Canonem comparet Simulacrum Christi clavis quatuor e cruce pendentis adstante hinc Matre, illinc Discipulo, quem diligebat. Ordinem Missae, in quo peculiare rubricae, ut ad Memoriam Vivorum: Hic nomina uiuorum memorentur si uolueris. sed non dominico die nisi ceteris diebus; ad Libera nos &c. post nomina Petri, Pauli atque Andreae: Hic nominatim quales uoluerit sanctos. uel quantos commemorat &c. excipiunt Offertoriorum quaedam Formulae, tum Preces ad Communionem dicendae et inchoata Orationis Dominicae Expositio, quae non a prima manu, sed aliquanto ferius adscripta videntur. Fol. demum 83. Officia per annum sequuntur initio ducto a Uigilia Natalis Domini. Contendi cum Exemplo Muratorii Liturgiae Vet. Rom. Venet. 1748. col. 7. f. et quasdam noto differentias. Officia Sanctorum non sunt permixta Officiis Dominicarum et Feriarum, sed ea sequuntur exceptis Missis*  
G g de

2971

## C O D I C E S

2972

de SS. *Stephano*, *Johanne Evang.* et *Innocentibus*, quae nescio quo errore, et alia quidem manu infertae sunt *fol. 116.* proxime ante *Pascha.* In *Osaua Domini* Codex noster duplicem Missam habet. Missa in *Vigilia Theophaniae* ab edit. abest, item Missa in *Osaba Theophaniae*, et Missa in *Sabbato post Dom. Quinquagesimae.* Missa *Fer. V. post Dom. III. Quadrage.* alia est in Cod. alia in Edit. uti et *Fer. V. post Dom. Passionis.* Ritus Hebdomadis majoris in Cod. multis rubricis illustrantur, et e *Praefatione Sabbati s.* tempus innotescit, quo scriptus fuit; nominatur enim ibi *Nicolaus* Papa, Rex *H.* et Coniux ejus *Bertba.* Habemus igitur *Henricum* IV. Imp. et *Bertbam* primam uxorem ejus, et *Nicolaum* II. qui ab an. 1058. ad an. 1061. Ecclesiae praefuit, ceteris vitam ultra producentibus. Missa *Fer. V. post Pentec.* in Edit. ponitur ad *Fer. VI.* et *Feria V.* diffimulatur. Codex duplicem habet feriam Missarum *Fer. IV. VI.* et *Sabb. quatuor Temporum post Pentec.* alteram scilicet, *Si Ieiunium evenerit extra Ebdomadem P. C.* Missa de *Santa Trinitate* ab Edit. abest. *Dominicae XVIII. XIX.* et *XX.* alias Missas habent in Cod. quae vero in Edit. sunt *XVIII.* — *XXIV.* in Cod. numerantur *XXI.* — *XXVII.* additurque Missa *Dom. XXVIII.* ut adeo *Dominicae post Pentecosten* censeantur *XXVIII.* non computatis *IV.* illis, quae post *Epiphaniam* superesse

possunt, et jam supra a *fol. 88.* p. 2. leguntur.

Quod jam *Missas de Sanctis* adinet, sequentes nec in *Gelasiano* nec in *Gregoriano Muratorii Sacramentario* reperiuntur: *Hilarii*, *Conversio S. Pauli*, *Brigidae*, *Blastii*, *Cathedrae Petri*, *Matthiae*, *Waldburgis*, *Benedicti*, *Ruodberti*, *Ambrosii*, *Adalberti*, *Marci* *Evang. Floriani*, *Gengolfs*, *Maximini*, *Bonifacii*, *Primi* et *Feliciani*, *Barnabae*, *Albani*, *Translatio S. Thomae* *Apost.* Unde? quo et quando? *Translatio S. Martini*, *Depositio S. Uodalrici*, *Willibaldi*, *Cbilianii* cum Soc. *Translatio S. Benedicti.* An *Floriacum?* an *Floriaco* ad *Montem Cassinum?* *Margarethae*, *Hermachorae* et *Fortunati*, *Praxedis*, *M. Magdalena*, *Apollinaris*, *Christinae*, *Jacobi* *Ap. Christophori*, *Pantaleonis*, *Stephani* *Invent. Aerae*, *Radegundis*, *Bartholomaei* *Ap. Augustini*, *Verenae*, *Adriani*, *Corbiniani*, *Lantperti*, *Matthaei* *Ap. Mauriti* et Soc. *Emmerammi*, *Conceptio Job. Bapt. Natalis Ruodberti*, *Hieronymi*, *Remigii*, *Germani* et *Vedasti*, *Dionysii* cum Soc. *Gereonis* cum Soc. *Galli*, *Lucae* *Evang. Crispini* et *Crispiniani*, *Amandi*, *Simonis* et *Judae* *App. OO. SS.* cum *Vig. Briccii*, *Othmari*, *Columbani* et *Damasi.* Multos horum SS. *Germaniae* esse *Indigetes* nemo non videt.

Missarum de *Communi SS.* et pro variis *Necessitatibus*, quae magno

2973

## LITURGICI

2974

magno numero sequuntur, non tamen Catalogum; notabo tamen peculiare quaedam. *Fol.* 225. legitur *Missa contra Iudices male agentes*, et *Missa contra Tyrannidem*. *Fol.* 237. *Missa Sismundi regis pro Febricitantibus*, quo pertinet illud *Gregorii Turon. L. I. de Gloria Mart. C. 75. Si qui nunc frigoritici in eius honore Missas devote celebrent, ejusque* (Sigmundi) *pro requie Deo offerant oblationem statim compressis tremoribus, restinctis febribus sanitati pristinae restaurantur*. Idem adferit *Vita T. I. Maji Bolland. p. 87. Fol.* 244. p. 2. *Missa communis*, scilicet pro Papa, Rege, Episcopis, Abbatibus et *omni congregatione et familia Sancti Georgii*, cujus nomen erasum in prima *Oratione* legitur tamen in *Orat. Ad compl.* unde conjicio *Sacramentarium* istud non ad *S. Germanum Spirens.* sed ad aliquod *D. Georgii* Coenobium pertinuisse, fuisseque temere compactum cum Parte priore Codicis. *Fol.* 254. *Missa* (Defunct.) *pro cujus Anima dubitatur. Missa Poenitentiam desiderantibus et minime consequentibus*. Huic char. quadr. praemittitur sequens Canon: *Si quis Poenitentiam petens dum Sacerdos venit, fuerit officio linguae priuatus, constitutum est. Ut si idonea Testimonia hoc dixerint, et ipse Aeger per motus aliquos satisfecerit, circa eum impleantur omnia ut mos est.* *Fol.* 258. *Missa Heinrici Imperatoris Specialis in Babenberbc.* et *Missa Chunegundę Imperatricis*. Neutra ad illorum honorem,

sed pro utriusque Salute, et ut mihi videtur, dictae *Bambergae* in Anniversario Obitus, usque dum Sanctorum Albo adscriberentur. Citant eas *Bollandiani T. III. Jul. ad diem 14. p. 714.* Adhaerent *Epistolae* et *Evangelia* ad varias *Missarum* haecenus enumeratarum pertinentia, manumque alia exaratae *Missae S. Barbarae, S. Nicolai*, et recentiore calamo *S. Guilielmi* et *S. Aegidii*.

## DCCCXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. 334 ut videtur XII. Folior. nunc 129. f. pereleganter exaratus, rubricisque distinctus, et olim ad *Canonicorum Regular. S. Hippolyti in Austria infer.* Collegium pertinet *Liturgicus* est, Partesque in *Missa* a Choro cantari solitas, puta *Introitum, Psalmum, Graduale, Versus, Offertorium* et *Communionem* notationibus *musicis* superimpositis complectitur. Initium ducitur a *Dominica I. Adventus*. Inter *D. Stephani* et *Johannis Evang.* Festa inserta est *Missa de Vigilia Apostolorum*, inter *Natalem S. Siluestri* et *Dominicam infra Octav. Nativit. Missa in Octava Domini de S. Maria*, quam sequitur *Dominica infra Oct. Domini* nulla *Circumcisionis* mentione facta. Usque ad *Septuagesimam* *Dominicis* inmixta sunt *Festa SS.* sed non nisi antiquissimorum; deinceps autem usque post *Dom. V. a Paschate* omnia tantum de tempore. In officio *Sabbati S.* occurrit *Hymnus:*

G g 2

Rex